

cione nostri cordis atterimur, dum perspicaciter cuncta revolvimus, et quidnam id vobis¹ suadere valeat, nullatenus invenimus. Queritur namque nobilitas coniungenda degeneri, deflet regni gloria naturalis, si iungi sibi videat usurpatam, aurum fidei gemit de optimi mutacione coloris, si se viderit infideli scorie sociatum. Complacentis devocio filii, persecutoris impii et solemnis² adiuncta consorcio, diligentis matris ecclesie retorquebit fiduciam in adversum. Nec pretereunda³ est divini formido iudicii, si applicare queritis iuxta odibilem, ubi sic fulminare cernitur divine et ecclesiastice severitas ulcionis, nec enim unius duracio sperari potest, qui nullo fundamento subnixus, sed rapine vicio sine federe legis abutens⁴, Dei ecclesie omniumque fidelium abhominacione concutitur, et ventorum consursu assiduo verberatur, dum sibi obsequencium timet insidias, qui proprie consciencie stimulis de non possesso⁵ legitime perurgetur. Non igitur molestum accipiat regia celsitudo, si postulate gracie liberalitas denegatur, si detrahit ubera mater filio, quem paratum dentibus suspicatur ad morsum, habet enim eciam lex humana, ut hereditatis perdat solacium, qui cum patris hostibus amicicias copulavit. Pie se habet in hoc mater ecclesia, nec putet eam regalis prudentia novercari, quod non tam denegat, quam differt. Nam de corrigentis more petita concedere⁶, que et regni gloriam et salutem vestram materne sevicie caritate conquirat⁷, ut postquam vos ab illius devio erroris averterit, personam vestram non solum petite gracie, verum eciam omnium querendorum ubertate fecundet et ampliate benedictionis amplexu saginatum offerat Domino pro vobis vitulum graciaram.

Super hiis quidem excellencie vestre dominum nostrum summum pontificem scripsisse meminimus⁸, cuius monita quantum apud vos meriti obediencialis invenerint, ignoramus; nec superfluum credimus illis nostre aliquid exhortacionis adicere, qui personam vestram specialis amoris zelo nostris conclusam visceribus custodimus, rogantes, quatinus allisis ad petram parvulis⁹ et cogitacionis huius-

1) 'nobis' Hs.

2) 'solennis' Hs., = gewohnheitsmässig?

3) 'pretermida' Hs.

4) Dies und andres ist wieder auf Manfreds

Usurpation zu beziehen.

5) 'possesse' Hs.; vielleicht ist umzustellen:

'de non legitime possesso'.

6) Das Verbum ist ausgelassen, dem Sinne

nach 'differt' oder dgl.

7) 'conquirit' Hs.

8) Damit ist höchst-

wahrscheinlich das Schreiben Urbans IV. an Jakob von Aragonien vom 26. April 1262 (Ep. sel. III, 482 ff.) gemeint. Dadurch wird auch dieser Brief annähernd datiert.

9) Psalm 136, 9.